

scripsi, qui cum semel atque iterum significarit, Vobis haud ingratam fore mearum rerum communicationem, nolui eam differre, imprimis cum non sim certus, num ego vel is à quo copiam sumsi, accurate per omnia describerimus: unde necesse ratus sum, ut Vobis, Vir Clarissime, ante omnia sub censuram mitteretur, ut cum Originali, si fortè ad manus, vel saltem cum Vestra descriptione adhuc semel conferretur, & si non grave fuerit, de *audivitica* MS<sup>ci</sup> aliquid peculiare moneretur. Neque enim diffiteor, me putare, pauca quaedam vitio scripta esse, quæ suo loco notavi, & in quibus revisio quid additura est. Suspicio quoque & Dn. Obrechtò & mihi suborta de genuitate primæ strophæ, tum quod vocabula paulò recentiora videantur quàm in sequentibus, quæ vetustius seculum redolent, tum etiam ob scripturam nominis *Hludovicus* variantem. Sed & alia vocabula cum adspiratione scribuntur hîc, ut *ihm*, *sehr*, &c. quæ Otfridò, Willeramò & aliis tum sine ea veniunt. v. 35. etiam mutilatus videtur, si ad rhythmum & cantum referatur, quod tum utique consuetum fuisse constat, & vel Otfridus in præfatione testatur. Genus metri quodammodo ad Glyconicum accedit, sed liberum tamen & homoeoteleutum, ut Otfridi, & Willeramii, coæva carmina: inest tamen aliquis numerus poëticus, etsi incertus & vagus. Sed & stylus strictior, quàm in prosa cernitur. Obtinui præterito anno operâ Schmidii nostri à perillustri Domino Sparvvenfeldio Barone Suecico, Sæmundi Poëtæ Suecici vetustissimi carmina MSS. in quibus & numerus & stylus quoque hujusmodi, sed sine rythmo. Atque certè hoc genus carminis sine homoeoteleuto vetustius

